

## LYCURGVS LACEDAEMONIVS.

**F**Vit animus mihi, Lycurgum inter So-  
 lonem & Chilonem collocare, vt &  
 conciuem suum præcederet, & legiferum  
 Atheniensem, legifer Lacedæmonius se-  
 queretur. Retrahendi manum ab incep-  
 tis causa fuit, vt in his septem vetustè  
 Graiorum persuasioni morem gererem,  
 nec stilo confunderem, aut aliis permi-  
 scerem, quos segregatos absque partici-  
 pe famosi cognominis esse voluerunt,  
 quamuis eos ipsos, vt est apud Cicero-  
 nem, qui ista subtilius quærent, in nu-  
 mero sapientium non habent. Sed vtcun-  
 que res se habeat, cur inter hos nō fuerit  
 Lycurgus sæpè miratus sum: Sanè ad-  
 mirationem tempus abstulit, quoniam  
 vt in epistola quadam ait Seneca, Lycu-  
 rgus si eadem ætas fuisset, sacro illi nume-  
 ro accessisset octauus: Quia ergo tan-  
 tum Plebiscitum abrogare non poteram,  
 hætenus tantum differre sum compul-  
 sus. Itaque Lycurgus è duobus Græciæ  
 luminibus illustravit alterum, cum alte-  
 rum Solon illustrasset: Ex legibus autem  
 quas ciuibus suis sanxit, hæc memoratu  
 digna narrantur. Auri & argenti vsum  
 velut cunctorum criminum radicem ex-